201

Juramentum terrigenarum Livonię, per eorum nuncios de observandis communibus inscriptionibus de unione m. d. Lithvanię cum regno Polonię praestitum.

Ego N: juro domino Deo omnipotenti, quod ab eo tempore et in posterum totum actum unionis mutuę ordinum omnium regni Polonię, et magni ducatus Lithvanię, quemadmodum in literis, inscriptionibus ac obligationibus mutuis est descriptus, plene, realiter, et in effectu cum omnibus fratribus meis, nobilibus, et aliis incolis ducatus Ultradunensis Livonię, a quibus huc missus sum, tenebo, et observabo in omnibus punctis et articulis, quemadmodum in illis literis ultro citroq inter dominos Polonos et Lithvanos datis continetur, et pro posse meo semper curabo, omnemque dabo operam cum fratribus meis, a quibus huc missus sum ut hoc commune nostrum cum incliti regni Polonię et magni ducatus Lithvanię ordinibus, unionis vinculum firmum et inviolabile perpetuis temporibus maneat. Ita me Deus adjuvet et hoc sanctum Evangelium!

Jasienski